

DISSERTATIO GRADUALIS,
STRICTURAS QUASDAM CRITICAS
IN HISTORIAM ALANDIÆ,
MARIS BALTI CI INSULÆ,
CONTINENS.

QUAM
CONS. AMPL. FAC. PHIL. ACAD. ABOENS.
PRÆSIDE
Mag. JOHANNE BILMARK,
HISTOR. AC PHILOS. PRACT. PROFESSORE REG. ET ORD.

Publice censuræ submittit
DANIEL BACKMAN,
BOREA-FENNO,

IN AUDITORIO MAJORI DIE IX JUNII MDCCXCH,

H. A. M. C.

ABOE Typis FRENCKELLIANIS.

СЛАВА ГОСУДАРЮ
СТАРЫМ СЛОВЯНОМ
СЛАВЯНОМ АЛАНДИ
СЛАВЯНОМ БАЛКАНСКИМ
СЛАВЯНОМ БАЛКАНСКИМ

СЛАВЯНОМ БАЛКАНСКИМ
СЛАВЯНОМ БАЛКАНСКИМ
СЛАВЯНОМ БАЛКАНСКИМ
СЛАВЯНОМ БАЛКАНСКИМ

СЛАВЯНОМ БАЛКАНСКИМ
СЛАВЯНОМ БАЛКАНСКИМ

СЛАВЯНОМ БАЛКАНСКИМ
СЛАВЯНОМ БАЛКАНСКИМ

СЛАВЯНОМ БАЛКАНСКИМ

СЛАВЯНОМ БАЛКАНСКИМ



PRÆFATIO.

Stricturas quasdam Criticas in Historiam Alandiæ, maris Baltici insulæ, in medium allaturo, dicam mihi forte non pauci scribent, quod argumentum dissertationis elegerim, ab aliis, eisdemque eximia sagacitate præditis, Viris ad umbilicum ita perductum, ut nihil, quod de isthac insula scitu dignum esset, ab eis prætermissum videatur. Sed sicut diversæ ejusdem regionis descriptiones non sunt infrequentes; ita nemo miretur, in Aländia illustranda studium plures operamque collocasse; quocirca tamen ipsa argumenti tractatio ostendet, me de aliorum meritis, in eodem Historico campo ante me versatorum (*a*), nihil delibasse, nedum ex eorum rivis mea penitus irrigasse arva. Præterea haud dissimulabo, me non tam eruditioñis, cuius tenuis mihi est supellex, quam pietatis potius meditari specimen; tanto enim dulcissimum natale solum meum complector amore, quanto peritus boni civis unquam flagret, animoque proinde

A

meo

meo jugiter obversari monitum Poëtæ: *Sisque memor patriæ, quæ te genuitque, tulitque.* Atque ex hoc capite Tuam, Benebole Lector, mitiorem censuram mihi expeto.

(a) Postulat officium, ut in ipso dissertationis limine eos strictim nominem Scriptores, qui de Alandia ex professo commentati, ad nostram pervenerunt notitiam; in quibus recensendis seriem annorum, quibus sua consignarunt opuscula, sequar. Horum agmen dueit *Elias Petri HASSELGREN*, Alandus, cuius est orationcula, *encomium Alandie simpliciter & succincte adumbraans*, Aboæ an. 1662 in 4:o edita. Hunc proxime fecutus est *Christiernus ALANDER*, natione Alandia Svecus, in Academia hac Aboënsi Eloquentiæ Professor postea constitutus, qui ephebus nuper factus, Orationculam, *encomia & Laudes Districtus insularis maris baltici ejusque incolarum mores, & descriptionem totius Alandie completem* an. 1678 in 4:o publici juris fecit. Vidi etiam apud Præsidem meum aliam de Alandia orationculam MSt, a quo & quando consignatam, incertum; a prioribus vero plane diversam. Ex his scriptis parum proficiet Historicus. Luculenta autem est dissertatione Cl. Juvenis Laurentii O. HALLBORG, Westro-Gothi, de *Alandia*, cuius pars prior Præside Cel. Professore A. SCARIN An. 1730 in publicam prodiit lucem forma 8:o, sed qui telam a se inceptam, morte eodem anno præventus, pertexere non potuit. Posthac Cl. *Christopherus TÄRNSTRÖM*, Upplandus, binas de *Alandia, maris Baltici insula*, Upsaliæ in 4:o edidit dissertationes, priorem Præside Cel. Professore E. FRÖNDIN, an. 1739, alteram sub moderamine Cel. Professoris P. EKERMAN an. 1745. An Cl. Tärn-

Cl. Tärnström nominatam Hallborgi disquisitionem viderit, incertum est, quum eam in suo specimine Historico nusquam citer; certum vero est, quod multa cum eo habeat communia, quod eandem rem describentibus non potest non accidere. Elegans imprimis est descriptio Alandiae (*Berättelse om Åland*), qua Oeconomiam Cameralem, quam a se confignatam, *Diario Oeconomico (Husbållnings Journalen)* an 1781 inferendam misit Dicasterii Regii Aboensis Consiliarius & Eques auratus de Stella Polari, Nob. *D:nus Samuel EHRENMÅLM*. Nuperrime etiam amicus meus *D. F. Mallén* in publicam emisit lucem dissertationis suæ de *Parœcia Alandiae Lemland, eique annexa Lumparland*, partem priorem.

§. I.

Sita est Alandia in confinio maris Baltici ac Sinus Botnici, hæc maris brachia dirimens, propior Finlandiæ, quam Sveciæ, a qua per maris partem, Mare Alandicum appellatam, quinque circiter milliar. Svecan. amplitudinis distinguitur. Juxta communem loquendi usum dividitur Alandia in *terram continentem* (*Fasta Landet*) & *Insularem*; illa est insularum, huc pertinentium, maxima, quæ juxta recentissimam et accuratisimam Mappam Alandiae Geographicam, cura Regii Coll. Cameræ Consiliarii, Nob. *D:ni E. de WETTERSTEDT* an. 1789 Holmiæ editam, in latitudinem a $60^{\circ} 5'$ ad $60^{\circ} 25'$ circiter boream versus extenditur, & in longitudinem ab Ekerö ad Bomarsund seu a $37^{\circ} 9'$ (primo meridiano in

in Insula Ferroensi constituto) ad $37^{\circ}50'$ fere, orientem, versus exporrigitur, continentisque terræ maxima & latitudo & longitudo est ferme $3\frac{1}{2}$ mill. Svecan. areaque, comprehensis intermediis aquarum confluentibus, 8 milliar. Svecan. quadrat. adæquat; quæ vero dimensiones evadunt majores, si sporadicæ simul in censum veniant insulæ Alandicæ; nec tamen area terræ ob copiam aquarum exacte potest definiiri (a). Intra ambitum firmæ Alandiæ reperiuntur Sex parœciæ, nimirum computatione ab orientali parte facta, 1:o Parœcia *Sund* cum annexa *Wårdö*, templis sesquimilliaris fere spatio a se distantibus; 2:o Parœcia *Saltvik*, 3:o Parœcia *Finström*, cui annexa est *Geta*, ad radices montis ejusdem nominis sita; 4:o, Parœcia *Hammarland* cum sua annexa *Ekerö*, 5:o Parœcia *Jomala*, 6:o Parœcia *Lemland* cum annexa *Lumparland*. Ad insularem vero Alandiam duæ pertinent Parœciæ 1:o *Kumblinge*, cum sua annexa *Brändö*; 2:o *Föglö* cum suis annexis *Kökar* & *Sottunga*. In hisce octo (b) Alandiæ parœciis ad tenorem census publici, an 1791 instituti, numerabantur Domania Regia, (*Kongsgårdar*) 3; prædia equestria (*Såterier*) 5; habita insuper portionum virilium (*Mäntalens*), ratione, in Alandia nunc reperiuntur Prædia libera (*Frälfshemman*) $18\frac{1}{2}$; Vectigalia (*Skattehemman*) $196\frac{1}{2}$ (c) & Fiscalia (*Kronohemman*), $284\frac{17}{2}$; sed quæ in minora prædia qua magnam partem sunt divisa (d).

(a) Nob.

- (a) Nob. M. GYLLENSTOLPE in *descriptione Sveciae* Cap. XXIV ponit longitudinem Alandiæ esse VII milliar. fere cum pari latitudine; quæ vero dimensiones sibi non constant, nisi cum terra continente simul comprehendatur insularum congeries; vel mensuræ factæ sunt juxta viam publicam. Præterea Cl. HALLBORG in *dissert.* cit. p. 34 docet, Alandiæ longitudinem a gradu 41 incipere, ducem, ut videtur, secutus de WITT, qui primum meridianum occidentaliorum insula Ferröensi facit. Hallucinatur vero, statuens ambitum totius Alandiæ 29 circiter milliar. continere; quum idem, assumtis etiam dimensionibus Gyllenstolianis, utpote maximis, 22 milliar. Svecan. non excedat.
- (b) Rev. D. BÅNG in *Histor. Eccles. Sveo Gotb.* p. 268 septem tantummodo parœcias Alandiæ tribuit, sed aut erratum heic occurrit typographicum, aut dormitavit hic Vir, in Historia Patriæ certe versatissimus. Rursus qui Concilio Upsaliensi an. 1593 subscripti-
runt Pastores Alandici memorantur novem, & inter hos Bero Laurentii de Geta, sed qui procul dubio fuit Sacellanus; quum nullius præterea Sacellani Alandensis ibidem fiat mentio.
- (c) Hallucinatus igitur est Cl. TÄRNSTRÖM, in *Tabula synoptica, dissertationi suæ priori de Alandia præmissa*, prædia Alandica, si domania excipientur, Fiscalibus ac-
cenfens omnia.
- (d) An. 1778, quo Cl. DJURBERG suam edidit Geogra-
phiam, numerum prædiorum Alandiæ ponit 752, &
hominum ibidem tunc degentium 10000, qui spatio
duorum annorum ita increverant, ut an. 1780 ex
calculo Nob. EHRENMALMI ibidem invenirentur 11302
homines.

S. II.

Originem appellationis Alandiæ indagaturis tres obveniunt opiniones, animadversione quadam dignæ. Veteribus Alandis, cœu perhibet Rev. D. BÅNG (*a*), fuit persuasum, Reginam, qua nōmen & tempus quo vixit, ignotam, ad Alandiæ scopulos fecisse naufragium, conspectaque inter natandum terra e longinquo, iterum iterumque graviter ingemuisse: *Ah! Land, Å-land*, atque hinc insulam suum fortitam fuisse nomen. Quisque autem facile perspicit, traditionem adeo vagam ad aniles referendam esse fabulas. Opinantur alii, insulam nostram, a Germanis olim frequentatam, eosque cum palantes heic cernerent alcium, a fe *Elend* appellatarum greges, insulæ nomen *Elend, Aland*, quasi dices *alcium terram*, indidisse (*b*). Sed nullam video rationem, quare denominationis ratio in lingua peregrina, Gothicæ licet cognata, sit quærenda; præsertim quum incertum sit, an Germani ad nostram insulam suas unquam direxerint naves: quicquid autem sit, horum accessu antiquior habenda est Alandiæ appellatio. Nec mihi probatur etymon Alandiæ, ab Å amne & *land* terra petitum, quod intra Alandiam pauci occurruunt amnes. Rem acu tetigisset Nob: IHRE, observans, Å primitiva sua significacione aquam quamcunque denotasse, & hinc Åland dici quasi terram maritimam (*c*), si ex hac derivatione peculiaris quædam Alandiæ nota, genioque insulæ imprimis propria posset colligi. Missis autem aliorum opinioribus, breviter

ter observo, quod cum vocales ð, o, å, facile permittentur, nihil impedit, quin Åland dicta sit quasi Öland, terra insularis, quem titulum præ aliis meretur regionibus, etiam præ Ölandia; quum notum sit, sexaginta insulas habitabiles, ut de cæteris nihil dicam, ad Aländiam pertinere.

(a) Vid. *Histor. Ecclesiast. Sveo-Goth.* p. 298.

(b) *Libr. modo citat.* p. 268.

(c) Vid. *Glossarii Svio-Goth.* p. 45, Tom. I.

§. III.

Quamvis ut aliarum Patriæ nostræ regionum, ita etiam Aländiae in vetustis monumentis rara occurrat mentio, silentii tamen peplo hæc non fuit penitus involuta. Imo si sibi constet Historicorum opinio, primos Scandinaviæ incolas, avitis in oriente sedibus relictis, per Finlandiam, & dehinc, trajecto mari Aländico, in Sveciam penetrasse (a), hæc insularum series ab antiquissimis inde temporibus fuit cognita. Præterea ex Historiola, quæ *Origines Norrigiae* inscribitur, discimus, GORRUM, Finlandiæ ac Quenlandiæ Regis THORERI filium, sororem GOAM, clanculum abductam, indagaturum, instruētis triremibus & pluribus secum assūtis sociis, mare transnavigasse Aländicum (b). Me quidem non fugit, quod eandem probabilitatis adorām, qua olim inclaruit, huic historiolæ recentiores non tribuant Critici; licet vero

om-

omnem examinis limam non sustineat, ad meras tamen haud referenda est ineptias; nonnulla quippe bonae frugis spicilegia continens.

(a) Inter alios consuli meretur Nob. P. J. SUHM in libro: *Om de Nordiske Folks áldste Oprindelse* §. XVI. p. 18.

(b) Vid. citat. *Historiolam insertam* BJÖRNERS Kämpader p. 2.

§. IV.

Alandos ejusdem esse cum Svecis prosapiæ (a), communis utriusque Nationis lingua satis superque indicat. Quo autem tempore primos Alandia nacta fuit incolas, silentibus Historicis, indagare non potui. Et licet hypothesin de immigratione populorum in Sveciam, in antecedente §, memoratam assūmam; ex ea tamen tuto non concluditur, migrantium turmarum quasdam, ab itineris sociis digressas, in Alandia, minus securam tunc præbente habitationem, confesasse. Probabilius videtur, alias aliasque familias Suecicas, post fractam piratarum, mare Alandicum infestum reddentium, ferociam, modo his, modo aliis exagittatas tempestatibus civilibus, vel comperta soli Alandici amoenitate allæctas, ad nostras se sensim contulisse insulas. Et hanc populorum in Alandiam immigrationem æram anteverttere introducere religio-nis Christianæ, probare videntur colles sepulcrales, in

* * *

in parœciis *Hammarland* & *Finstrom* præcipue obvii
(b). Pererebuit quidem inter Alandos vetus tradi-
tio, thesauros sub his conditos esse collibus; sed vulgus,
talia venditans, ineptire facile dedero; quum signa
defossarum divitiarum non soleant constitui, nec spes,
ex his opes obtinendi tumulis, animum ullius Alandi
ad eos aperiendos hac tenus sollicitaverit.

- (a) In Alandia occurruunt non tantum Sacellum *Geta*,
parœciæ *Finstrom* annexum, sed etiam intra ejus am-
bitum pagi *ØstGeta* & *WestGeta*; quæ vero nomina
an memoriam veterum Getarum refricent, aliis di-
spiciendum relinquuntur.
- (b) Constructionem horum tumulorum ad tempus gen-
tilismi esse referendum, subinnuere videtur Cl. HALL-
BORG in citat. *dissertat. p. 61. not. d.*

§. V.

Alanos inter veteres populos & copiis potentes,
& bellicarum expeditionum fama inclytos fuisse, nisi
in antiqua historia plane hospitem, fugere potest ne-
minem; qua autem ex terra, ceu solo suo natali, illi
in conspectum primo, ac deinde in terrorem totius fe-
re Europæ eruperint, controversia est ad umbilicum
nondum perducta. Antiqui Historici, quotquot de
Alanis memoriae quid prodiderunt, eos ad Scythicam
referunt gentem, & littora Ponti Euxini, dum Europæis
primum innotuerunt, habitasse perhibent (a). Enimve-
ro quum veteribus Scriptoribus fuerit folleme, Scy-

B

thicæ

thicæ genti quosvis accensere populos, versus septemtrionem habitantes, cæterisque minus cognitos, ex eorum effato de origine ac primis Alanorum sedibus nihil certi potest concludi (*b*). Plenius in perplexo hoc argumento suam explicuisse mentem putatur PROCOPIUS, rerum Alanicarum præ multis aliis gñarus, afferens, eos Gothicæ esse originis (*c*); quo circa tamen eadem ferme occurrit ambiguitas, quum incertum sit, quos intelligat Gothos, vel Paludis Mæotidis accolas, vel Scandiæ incolas, inter se minime confundendos (*d*). Hoc tamen Procopii testimonio aliisque rationibus suffulti plerique Nostratum Antiquiorum, nominatim ADAMUS Bremensis (*e*), JOHANNES MAGNUS (*f*), MESSENIUS (*g*), BAZIUS (*h*), RUDBECKIUS (*i*), DALINUS (*k*), aliquique, veteres Alanos ex Alandia fuisse egressos putarunt; a quibus vero in tantum dissentit Nob. LAGERBRING (*l*); ut Gothiæ provinciam Hallandiam pro Alanorum habeat patria, nomen illius dedicens a Gothicō *Hall*, *Håll* monte; *Hallandia* proinde montosam, qualis revera est, regionem, & Alanis monticolas significantibus. Parem antea, qua appellationis etymon, opinionem foverat BAYERUS (*m*), nomen Alanorum deducens ab *alin*, quæ vox lingua Mungulica denotat montem, sed juxta monuit, veteres Alanos habitasse montes boreales Sarmatiæ Asiaticæ, a rebelli deinceps Hunnorum colonia avitis ejectos sedibus, ad Paludem Mæotiden se recepisse; cui etiam assentit Cel. DE GUNNES

GNES (n). Quamvis autem meum impense diligam natale solum, & Alandicæ Nationis gloriæ libenter velificem, vereor tamen, ne veritati vim inferam, si Alandiæ, habitationem veterum Alanorum vindicare aggrediar; præsertim, quum ad ductum D:ni DE GIGNES, Alani prius e Scandia emigrasset, quam hæc suos nacta fuisset incolas. Quam inter alias fuisse rationem præsumo, quare Nob. SUHM, qui in varia Alanorum sata sollicite admodum inquisivit (o), hos Scandinaviæ populis non annumeraverit. Quid? Quod JORNANDES, Gothorum in Italia Episcopus, natione licet ipse Alanus (p), & rerum suæ patriæ optime gnarus, originem suorum popularium reticeat, eam procul dubio explicaturus, si vel per traditionem ei constitisset, eos ex Scanzia, vagina gentium a se appellata, fuisse egressos. Nec nos PROCOPII, Alanos ad Gothicam gentem referentis, moratur auctoritas, persuasos quippe, eum in hanc ivisse opinionem, quod Alanî magnam legiopum Gothicarum olim constituerint partem. Denique in animum non possum inducere, quomodo vel Alandia vel Hållandia, regiones non magnæ amplitudinis, & olim parum habitatæ, numerosa militum emittere potuerint agmina, ut reticeam, hos emissos, si qui fuerint, Alando vel Hallando potius, quam Alanos levi quidem, notabili tamen nominum discrepantia, fuisse dicendos.

(a) Vid. DIONYSIUS *Periegeta*, V. 305. 308. PLINII *Hist.*
Libr. IV. C. 19. p. 56. AMMIANUS MARCELLINUS *Lib.*
XXX C. 2. PHILO *Judeus lib. VII de Bello Judaico*
C. 29. B 2 (b) No-

- (b) Notandum enim est, quod per Alanos non pecuniam quandam gentem, sed colluviem potius Nationum veteres designent scriptores, vid THUNMANNS *Untersuchungen über die Geschichte der östlichen Europäischen Völker*, p. 19.
- (c) Vid. libr. IV de bello Gotb. C. 3, item de Bello Vandalico libr. 3 p. 309.
- (d) De hoc argumento conferatur Nob. LAGERBRING in *Histor. Svec.* Tom. I p. 544.
- (e) Alanos, Albinos etiam, quod canitie nascerentur, dictos fuisse commemorat, & inter Scandiae populos refert, vid. *Libr. de situ Daniæ &c.* p. m. 59.
- (f) Vid. *Hist. Gotb. Svec.* p. m. 580.
- (g) Vid. Scandiæ illustratæ Tom. XIII p. 17.
- (h) Vid. Inventar. Eccles. Sveo-Goth. p. 22.
- (i) Vid. Atlantice Tom. I p. 396 & Tom. III p. 326 seq.
- (k) Vid. *Hist. Svecan.* Tom. I. p. m. 20 not. s.
- (l) Vid. J. GRIMBÆCK *Dissert. de Hallandia in genere* P. BRING edit. p. 2 & 16, sed Nob. hic Polyhistor in *Historia Svecana* populos recensens, ex Scandia olim egressos, nullam Alanorum facit mentionem, ne quidem de Hallandia libr. cit. p. 327. speciatim differens.
- (m) Vid. *Schediasma insertum Actis Erudit.* Lips. an. 1731 p. 316.
- (n) Vid. L' *Histoire des Huns* lib. IV p. 279 seq.
- (o) Vid. libr. supra citat. p. 24. seq.
- (p) Hujus sui generis nos certiores facit ipse JORNANDES in lib. de rebus Geticis p. m. 134. unde infert Nob. IHRE

IHRE Prooemii ad Gloffar. Suio-Goth. p. VIII probabile, JORNANDEM, genere Alanum, Candacisque Alanorum Ducis Notarium, ante suam conversionem, Episcopi munus inter Gothos acceptum non fuisse, si dissonam linguam usurpasset. Dubium tamen manet, an Gothicā lingua ei fuerit vernacula, an vero eandem in conversatione cum Gothis sibi reddiderit familiarem.

§. VI.

Inclytum per Septemtrionem fuit *Templum Bjarmense*, Numini *Jomala* dicatum, non tam propter religiosum quendam cultum ei ibidem exhibitum, quam potius ob ingentem auri & argenti vim, intra ædis claustra reconditam. Quocirca Antiquariis data fuit occasio, in situm regionis, Bjarmiae nomine olim insignitæ, inquirendi. Missis aliorum aliorumque de hac re opinionibus, quas examinare, instituti mei non fert ratio, prætermittere tamen non potui chorographicam hanc disquisitionem, quod Rev. D. BÅNG multis probare nitatur argumentis, *Bjarmiam* in Alandia esse querendam, cum quod mare Balticum promontorio Alandico dividatur in duo brachia, Svetli. *Arm*, quibus in littoribus Sueciæ respondent *Södre Arm* & *Norre Arm*, unde Germanice *bey-armia* & Svethice *Biarmia*, tum quod intra ambitum Alandiæ sit parœcia, *Jomala* dicta, hoc nomine olim insignita, quod ibidem coleretur numen *Jomala* &c. (a). Enimvero si in *Bjarmiam* contendentes, ductum sequamur veter-

rum Argonautarum (*b*), e Norvegia ad hanc Colchida peregre navigantium, recta perverimus ad littora maris Albi, & sinum ubi fluvius Dwina se in dictum mare exonerat; quare etiam præstantissimi Historici veterem *Bjarmiam* fuisse hodiernam *Permiam*, & in hac Templum *Jomalense* exstructum, recte docent (*c*). Denique observandum, quod in Alandia non inveniatur templum, *Jomalæ* nuncipatum, sed parœcia ab hoc Numine appellata, forte ut Fennis, quoquin frequentia cum Alandis olim fuerunt commercia, hoc gratificaretur modo.

(*a*) Vid. *Hist. Eccles. Sveo-G.* p. 267 seq.

(*b*) Vid. *Herraudi & Bosæ Hist. C. VII* & *STURLON, Heims Kringl. Tom. I.* p. 620 seq.

(*c*) Præter alios bene multos consuli in hoc argumento merentur *LAGERBRING Hist. Svec.* Tom. I. p. m. 319. seq. & *SCHÖNINGS Försgö till de Nordiske Landes gamle Geographie*, p. 8. 54, 64.

§. VII.

Multis etiam fuit persuasum, veteres Sveciæ Reges, ut in aliis suis regionibus, ita in Alandia *Præfetos* constituisse *limitaneos*, a nostratis *Våringar* (*a*) dictos, qui hostium, præsertim piratarum, irruptiones, si valerent, statim reprimerent, sin minus, per ignes saltem angaros, imminens indicarent periculum. Forte talis Marchio in *Eckeroa* (*b*), quæ est parœciæ *Ham-*
mar-

marland annexa, suam olim habuit sedem. Ex similitudine vocum *Wåring* & *Wareger*, qua significacionem plane diversarum (*c*), antiquariis nata est occasio, in natales utriusque appellationis inquirendi; rejectis autem aliis etymologiis, Nob. *Lagerbring* præsumit, *Waregos* a locis Alandiæ *Warghamn*, *Warggata*, & *Wargsund* esse cognominatos (*d*). Sed obscuriora omni ævo hæc fuerunt loca, quam ut ab eisdem nomen sortiti sint *Waregi*; simplicius cum suis afferere potuisset antecessoribus, *Waregos* a Gothico *Warg*, *lupo*, vel *pirata*, fuisse appellatos (*e*). Enimvero quum *lupi* in Alandia rarius occurrant, nec veteres Alandi ob exercitam piraticam fuerint famosi, saspicatus sum, nomina horum locorum esse corrupta. Nec vana hæc fuit persuasio, saltem qua appellationem *Warggata*; a meo enim accepi Præside, quod cum per *Wargata* profectus, a rustico comite quæsivisset: an multi ibidem essent lupi, quippe quod nomen loci insinuare videbatur, hic responderit: nec ullos ibi esse lupos, nec locum istum *Warggata*, sed *hwargata* dicendum, propterea quod Alandi certis anni diebus per singulas plateas, (*hwargata*) illuc veluti ad commune confluenter forum. Rem acu tetigisse mihi videtur Nob. DALIN (*f*), existimans, ex *Sverige* factam esse *Waregiam*, prima littera S vel facilioris pronunciationis ergo, ut putat Nob. IHRE (*g*), vel quod appellatio ista ad Russos per intermedios Fennos, geminam ab initio vocis non ferentes consonantem, olim fuerit transmissa.

(a) Lau-

- (a) Lautior deinceps facta est *Vāringorum conditio*,
cum in aulam Constantinopolitanam recepti, milites
Imperatorum Græcorum agerent præsidarios.
- (b) Hoc ex *Historia de ODDONE* jaculatore nos docet
Cl. BJÖRNER in suo de Waregis &c. Schediasmate p. 24;
sed qui dubius hæret, an *Eckeroa* sit vel Noryegiæ
vel Alandiæ aslerenda.
- (c) *Vāring* a Goth. *Vārja* defendere, sed *Waregr* a
Warg lupo vel pirata.
- (d) Vid. *Hist. Svec. Tom. I. p. 599.*
- (e) Vid. in primis *Cl. J. G. HELSINGI Dissert. de origine*
prisciæ Gentis Waregorum.
- (f) Vid. *Hist. Svec. Tom. I. p. m. 303.*
- (g) Vid. *Glossar. Suio-Goth. Tom. II. p. 1069.*

§. VIII.

Nec hoc reticendum loco, quod de imagine &
inscriptione, quæ in Sigillo Alandiæ territoriali occur-
runt, in diversas Eruditæ abeant opiniones. Ipsum
Sigillum exhibent expressum *Cl. HALLBORG (a)* &
Cl. TÅRNSTRÖM (b), quod sistit imaginem Regis, so-
lio insidentis, caput corona cincti, dextra bipennem,
sinistra globum, ex quo crux eminet, tenentis (c),
cum hac quoad litteras epigraphe; *S. Beati: OLAWS:*
DE: STOAZAR: SWIO: cuius veram lectionem, re-
stitutis in suum ordinem Litteris, per Chalcographi
oscitantiam turbatis, hanc esse opinatur *HALLBORG:*
S. Beati Olawi de Sotakärs wik, quæ sibi constaret,
quod

quod' notum sit, Norwegiae Regem, OLAVUM Ha-
raldi filium, in sanctorum numerum post cruenta fa-
ta relatum, superasse immanem piratam *Sote*, in lo-
co *Sotaskär* deinceps appellato, nisi expresse legeremus
vocem *Svio* (*Svea*) in *Wik* sinum, pro arbitrio
non transformandam. A probabili hujus epigraphes
interpretatione longe recedit Cl. Tärnström; suspi-
catur enim, OLAVUM, cuius heic fit mentio, vel Du-
cem navalem, vel Gubernatorem Alandorum, pa-
tria Svecum fuisse, cognominatum a suo prædio *Sto-*
azar olim, nunc *Tozarby* dicto, intra Alandiæ pa-
rociām *Sund* sito. Enimvero tam corona capiti hu-
jus OLAVI imposita, quam globus, quem sua ge-
stat manu, pro indubuis Majestatis insignibus omni-
habita sunt tempore. Et quum praeter Norwegiae
Regem, OLAVUM, modo memoratum, nullus ejus-
dem nominis Scandinaviæ Princeps albo Sanctorum
sit insertus, ejusque ea esset veneratio, ut Alandii
etiam in suum honorem aliquot erigerent templa,
dubitari non potest, imaginem ejus esse, quæ in A-
landiæ sigillo compareat. Præterea quum nomen
Stoazar in antiquis nuspiam occurrat monumentis,
præsumo, illud esse corruptum, & in *Sotaskär* restituendum. Nisi igitur valde fallor, memorata epi-
graphe ita erit legenda: *S Beati OLAWS de Sotaskär*
Svio; ultimam autem vocem *Svio* non ad Regem,
sed ad *Sotaskär* esse referendam, colligo ex his ver-
bis, in Historia OLAVI Sancti occurrentibus: *thadl*
C. *Hauft*

Hæfst bardist Olafr ena fyrstu orosto vid Sotasker, thad er i Swia Skerium, thad bardist han vid Wikinga, oc er sa Soti nefndur er fyri them war, hoc est: primam eo autumno pugnam conseruit OLAVUS ad Sotaskar, quæ in maritimis Sveciae sunt, ubi pugnam eum piratis habuit; vocabatur autem Sote, qui piratis præerat (d).

(a) Vid. cit. *Dissert.* p. 13.

(b) Vid. *Mappam Geogr. dissert. suæ præmissam.*

(c) Habemus quoque iconem Regis OLAVI S., qualis in templo parœciæ Olofsby, contracte Ulfoby, ad Björneburgum cernitur, quæ ab imagine in Sigillo Alandiæ exprefla, in eo differt: quod Rex stet erectus, dextra globum sine cruce, sinistra bipennem tenens, vid. J. TOLPO *Dissert. de S. OLAVI N. R. prævo Religio-*
nis Zelo.

(d) Vid. *Histor. Olavi Sanct.* Cap. 21.

